



②

Auf
II



FACULTATIS JURIDICÆ
 EX - DECANVS,
 CONR. WILHELMUS
 Strecker, JCTUS,

PRÆFATÆ FACULTATIS ET JUDICII
 ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PRO-
 FESSOR COD. PVBLCVS ORDINARIVS, CI-
 VITATIS SYNDICVS ET CONSVL
 PRIMARIVS,

AD
 AVDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad L. de alimentis §. C. de transact.

ET
 DISSERTATIONEM INAUGURALEM
 AD DIEM IV. FEBRVARII, M DCC XXXVIII.

LECTOREM BENEVOLVM
 PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
 Acad. Typogr

EX FACULTATIS JURIS

EX DECANUS

GOOR WILHELMUS

PROVINCIALE MAGISTRALIS ET

PROVINCIALE

PROVINCIALE

PROVINCIALE

PROVINCIALE

PROVINCIALE

Alimentorum appellatione potissimum in dispositione favorabili veniunt cibaria pro victu, habitatio, vestitus, calciarium, lectus, medicinae, nisi sint magnae & immodicae, Salarium medici, expensae studii Grammaticalis, & Magistri, reliquaque omnia, quae ad vitae sustentationem sunt necessaria & sine quibus corpus vivere non potest. *CARD. TVSCHS. tom. 1. Concl. 282. lit. A.* Cum vero non omnibus, quibus alimenta debentur, eadem sit ratio & conditio, diversa quoque circa alimentorum determinationem observanda est computatio, propterea ante omnia iudici incumbit, ut respiciat ad statum, conditionem, facultates, dignitatem & numerum liberorum, sic honoratioribus lautiora constituuntur esculenta, potulenta & splendidior habitandi locus, ita tamen, ne modus excedatur *L. 13. ff. de administr. tut.* è contrario humiliori loco natis panis ater, allium & cepae, fabae & casei sufficere videntur, & casa fumo & fuligine obscurata haud incommodam tribuit habitationem. Respicendum quoque est maximè ad aetatem, ita, ut juveni vel virili in aetate constituto plus subsidii relinquatur, quam senescenti ac decrepito, cum non sit praesumibile, quod, turbato mortalitatis ordine, ingravescentis aetatis Senex, virum succo & sanguine plenum vivendo superet. *vid. WERNHERR. Vol. 7. supplement. nov. ad p. 7. O. 85. pag. 737.* De relictis igitur vel assignatis cuidam alimentis determinatis vel indeterminatis adhuc in futurum

rum præstandis, quod valida iniri possit transactio, non pauci ex eo adstruere conantur, quod quilibet sit liber rerum suarum moderator & arbiter atque inhumanum esse videatur, quod in viuis quis de re sua aliquid facere aut non facere cogatur, ac quum sit & perditioni simile, quod aliquis suam impediatur explere voluntatem & interdicere cuiquam rei suæ administrationem, GROENWEGEN de LL. abrogat. ad L. 8. C. de transact. At tamen his non obstantibus specialis alimentorum favore, & ne alimentarius ad famem redigatur, introductum est, ne liceat de alimentis ultima voluntate relictis transigere, ejusmodi siquidem transactio in regula nullam obligandi vim habet, L. 8. C. de transact. nisi Prætoris aut Præsidis auctoritas & causæ cognitio accesserit, aut saltem melior per eandem causa alimentorum reddatur. STRYCK. U. M. ff. lib. 2. tit. 15. §. 11. Judex autem antequam decretum interponat, transactionis causam, modum & qualitatem personarum transigentium perquirat accuratissime L. 8. pr. ff. de transact. justæ verò causæ quæ judicem ad interponendam transactionis decretum movere possunt, enumeranter in cit. L. 8. conf. BRVNN. ad d. L. 113. seqq. sed præter eas multas alias existere, quæ præcedentis judicis arbitrio committuntur, statim in NOT. de A. J. O. cap. 170. lib. 1. Atque hæc legis dispositio obinet, nullâ habita ratione, sive alimentarius sit pauper, sive dives, quia alimentorum causa, licet non semper sit pia, est tamen semper & omni casu favorabilis, & procedit, quomodoconque agatur de alimentis futuris, sive principaliter sive accessorie & incidenter, quodcumque enim attingit negotium alimentorum, id omne gaudet alimentorum privilegio, id



id quod dedit sit, quia quocumque damnnum inferri
potest alimentario, vel is in extremam incidere potest
inopiam & fame perire, semper militat prohibitionis
ratio, consequenter militare debet idem jus, alioquin
per indirectum fame interimeretur, & necessaria vitæ
subsidia perderet, quod enim non licet directè, per in-
directum non debet concedi, hoc modo fieret fraus
legi, & actui prohibitivo. *arg. L. 16. ff. de sponsal.* Idem
dicendum de pacto, simplici, quo quis alimentis sibi
debitis renunciare vellet, hoc quidem pactum validum
admittit *H V N N. de transact. C. 3. Exercit. 22.* sed con-
trariam tanquam veriore[m] coertur *S TRYCK in U. M.*
ff. de cit. quia & hoc pacto fraus fieret legi, & deterior
contra legis prohibitoriam fieret alimentorum con-
ditio L. 8. §. 6. ff. de transact. Hinc non valet pactum,
quod pater non teneatur filium alere, utpote, quod iu-
ri naturali repugnat, licet filius dolo vel culpa portio-
nem sibi à patre semel assignatam dilapidaverit. *CRA-*
VETTA Conf. 139. n. 3. aut improbis corruptisque mo-
tibus vitæque contaminata patrem offendat *WERN-*
HERR. Voss. p. 5. O. 200. pag. 314. nisi propria bona, ex
quibus vivere potest, habeat, cum obligatio patris tan-
tum sit subsidiaria, adeoque cessat si filius de suo ali,
aut ex artificio vel professione amplectenda sibi provi-
dere possit. *T V S C H S. tom. I. Concl. 287. n. 25.* de ali-
mentis tamen præteritis, cum in præteritum viximus
& non vivemus, valida & licita est transactio, incon-
sulto Prætorè, item quæ debentur ex pacto aliove con-
tracta inter vivos celebrato, rationem diversitatis, qua-
re transactio ratione alimentorum per ultimam vo-
luntatem relictorum sit reprobata, & super alimentis
per

per contractum quæsitus sit licita & valida, Dd. communiter ponunt in eo, quia in alimentis per modum ultimæ voluntatis relatis concurrat duplex favor, alimentorum scilicet & ultimæ voluntatis, nam causa alimentorum, undecunque proveniat, semper est favorabilis, ultima quoque voluntas in jure nostro multis dotata est favoribus, quare duplex causa plus debet operari quàm una. Circa hanc materiam alimentorum occasione *L. 8. C. de transact.* publice ex cathedra plura differet

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. CASPARVS GVNTHERVS
LINDNERVS,

qui hanc mortalium lucem aspexit Francohusæ anno 1705. ipso Festo Michaelis. Patrem habuit *Casparum Sigismundum LINDNERVM* Chirurgen virum honestum. Matrem *Mariam Mogdalenam* Beati Domini Consulis *ZIMMERMANNI* fillam. Quemadmodum ergo optimi Parentes eum statim facto fonte lavandum sibi maximæ esse crediderunt curæ; ita hoc facto, cum parens dilectissimus, ipso adhuc infante, ex hac mortalium palæstra nimis mature abiret, mater superstes omnem navavit operam, ut adultior factus dogmatibus fidei Christianæ, aliisque artibus liberalibus imbueretur. Præceptoribus primo usus est privatis Domino *BAERO & SCHMIDIO*, S.S. Theologiæ studiosis, deinde informatione Domini *B. GRAVELII* Collegæ Tertii & Domini *GRAVII* Correctoris Lycei, quod est Frankohusæ, ultimo pastoris Guntzerodæ. Principiis linguæ latinæ positus ex se sibi visum fuit,

fuit, ut quoque scholas extraneas frequentaret, eum-
que in finem se Nordhusam contulit, ubi per aliquot
tempus ex instructione Domini WEBERI Rectoris
scholæ Nordhusanæ literis humanioribus operam de-
dit. Posthæc Lyceum Quedlinburgense adibat, ubi
informatione Domini M. ECCARDTI, Rectoris meri-
tissimi, admodum fideli, per aliquot annos usus est.
Inde pulvere Scholastico relicto se ad Musas Salanas
convertebat, jurisprudentiæ civili operam daturus.
Ibi Præceptores habuit & quidem primo in philo-
sophicis Dominum SYRBIUM S. S. Theologiæ D. & Phi-
losophiæ Professore, dein, in institutionibus Divi Ju-
stiniani Dominum DIETMARVM I. U. D. & Domi-
num FLOERKEN I. U. D. nunc Consiliarium aulicum
Gothanum, ad Struvii jurisprudentiam Dominum
LANGGVTHIVM, Consiliarium aulicum, ad Laurei ba-
chii Compendium, ad ff. eundem porro ad Desselii
erotemata juris canonici omnes, viros, singulari ve-
nerationis cultu observandos. Iena relicta, ad Fride-
ricianam profectus, ubi non minus studium iuris pro-
secutus est, audivit ibidem illustrem Dominum RÖHME-
RVM explicantem instituta & Compendium ad ff. ad
ipso conscriptum, pariter ad Corvinum a Belden ad
jus Canonicum, & Dominum FLEISCHERVM I. U. D.
& Professore juris ad Strykii examen juris feudalis,
nec minus Dominum HÖHEISELNI. U. D. ad Wolffii lo-
gicam. Absoluto denique cursu academico in pa-
triam reversus est. In illa ex clementia Principis Se-
renissimi, præviis submissis precibus, advocaturam ob-
tinuit, eamque aliquot annos jam jam exercuit. Tan-
dem è re suâ esse duxit, gradum ambire academicum,
fin.

singulari propterea, erga Ordinem nostrum fiducia fretus, eundem modestè imploravit, ut ad examen Candidatorum rigorosum admitteretur, eumque in sinem ipsi ex jure tam Canonico, quam civili secundum statutorum exigentiam textus assignarentur. Annuit petitis facultas nostra, textusque resolvendos communicavit, quos probè interpretatus est, atque Examen ita absolvit, ut non solum unanimibus suffragiis in Album Candidatorum sit receptus, sed etiam honoribus academicis dignus judicatus sit. Proinde publica ipsi aperta est cathedra, ex qua proximo die IV. Febr. lectionis cursoriæ loco *præcit. L. g. C. de transact.* resolver, & disputationem inauguralem

DE

DOCTRINA SVCCESIONIS
PACTITIAE EIVSQVE VSV ET ABV-
SV IN GERMANIA

habebit. Quibus actibus, ut Magnificus Universitatis Rector, Proceres Academici, & strenui jurisprudentiæ cultores interesse velint, officiose & perhumaniter invitantur. Publ. sub Sigill. Eacult. Jurid. die II. Febr. MDCCXXXVIII.



00 177

AB: 65717

X 2290245

VD 17





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
metres

ue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

FACULTATIS JURIDICÆ
EX - DECANVS,
CONR. WILHELMUS
Strecher, Jctus,

PRÆFATÆ FACULTATIS ET JUDICII
ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PRO-
FESSOR COD. PUBLICVS ORDINARIVS, CI-
VITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad L. de alimentis & C. de transact.

ET
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD DIEM IV. FEBRVARII, M DCC XXXVIII.

LECTOREM BENEVOLVM
PERHUMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.